

PRIMUM PROBLEMA

Declinationem planetae, habentis cognitum locum in Zodiaco, inuenire breuiter.



Vere signum & gradum loci planetae in latere dextro tabulae declinationum, si fuerit in medietate Zodiaci ascendente, vel in sinistro, si in medietate descendente extiterit: latitudinem autem si quam habet, in latere superiori transuerso, & in angulo communi offendes declinationem planetae quaesitam, septentrionalem quidem, si supra scalam rubram, meridianam autem si infra eam reperta fuerit.

Quod si longitudo planetae, vel latitudo eius, aut vtraque, non fuerit expressa in lateribus tabulae, agendum est duplici introitu, vt assolet, hoc pacto:

Intrabis primo cum longitudine & latitudine proximè minoribus, & angulum communem extra notabis: eum denique angulum communem conferas ad numerum immediate sequentem, inferiorem videlicet, si longitudo planetae in latere sinistro tabulae accepta fuerit, aut superiorem si in latere dextro: & de differentia horum numerorum accipies partem proportionalem, secundum proportionem minorum, iuxta gradus integros longitudinis existentium ad 60 minuta addendam quidem angulo communi, si numerus sequens ipso angulo communi maior fuerit, minuendam autem si minor, quam partem proportionalem seruabis seorsum, cum nota additionis vel minutionis, vt res ipsa postulat.

Deinde pariformiter conferes angulum communem memoratum ad numerum ei collateralem, versus sinistram quidem, si latitudo septentrionalis fuerit, versus dextram autem, si meridiana, & de differentia anguli communis numeri quoque collateralis accipies partem proportionalem, secundum proportionem minorum latitudinis ad 60, addendam item vt prius, si numerus collateralis angulo communi maior fuerit, minuendam verò, si minor.

Has itaque duas partes proportionales coniunges, si vel ambae fuerint addendae, vel ambae minuendae, congeriemque earum angulo communi adijcies, si addendae fuerint, aut ab eo demes si minuendae extiterint, collectus enim numerus aut relictus declinationem quaesitam manifestabit.

Si verò altera quidem memoratarum partium proportionalium addenda fuerit, altera autem minuenda, fuerintque ipsae aequales, angulus communis intactus pro declinatione planetae habebitur.

Si autem inaequales extiterint, differentia earum addetur angulo communi, si maior pars proportionalis addenda erat, aut minuetur ex eo, si maior minuenda fuerat, & quod colligetur hoc pacto vel relinquetur, declinationem planetae computabit: septentrionalem quidem, vt prius, si supra scalam rubram steterit angulus communis, meridianam autem si infra.

Contingit autem nonnunquam scalam rubram intercipere angulum communem

B

De scala rubra.

*Haec tabula Rationem  
1 hanc Continuum Calculum  
futuri motus ab ortu eius  
occursum (a motu eius solar  
reuerentibus) & eius in hora  
distantiam & suis propriis  
Vide Rationem in tab. post. pag  
Introitus l. Col. ult.*

*simplex  
cum integris numeris*

*Duplex  
cum minutis adiunctis.*

*Quid cum partibus proportionalibus sit agendum.*

*ut ab fiat dictionem  
ho iuxta figurae  
Sept. h. (45) 200 200  
m. (2-2) 200*